

DE
NEXV METAPHYSICES
CVM
MEDICINA GENERATIM

PRAESIDE

VIRO PRAENOBILISSIMO EXPERIENTISSIMO
ATQVE DOCTISSIMO

DN. IOANNE AVGVSTO VNZER

MEDICINAE DOCTORE

PATRONO ATQVE FAVTORE MEO
AESTVMATISSIMO

AD D. VIII. MAII MDCCLXXXVIII.

DISSERET

AVCTOR RESPONSVRVS

IOANNES CHRISTIANVS BOLTEN

GLÜCKSTADIENSIS

MED. C.



HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS IOANNI CHRISTIANI HENDELI, ACAD. TYPOGR.

VIRO

*SVMME REVERENDO AMPLISSIMO
DOCTISSIMOQVE*

IOANNI BOLTEN,

**AVGVSTISSIMO AC POTENTISSIMO REGI
DANORVM NORWAGORVM RELIQA**

**A SANCTIORIBVS CONSILII CONSISTORII
DIOECESIOS PINNEBERGICAE ET CIVITATIS
ALTONANAE PRAEPOSITO**

**TEMPLI QVOD ALTONAE EST PASTORI PRIMARIO
CHRISTIANEI ALTONANI EPHORO
PATRI**

**AETERNA RELIGIONE OBSERVANTISSIME
COLENDO**

**HANCCE DISSERTATIONEM
DEDICATAM**

IN TESSERAM
ANIMI, SVAVISSIMA TOT TANTORVMQVE
BENEFICIORVM
AB INCVNABVLIS COLLATORVM RECORDATIONE
IMPENSE TACTI

AC MONVMENTVM
PIETATIS, OBSERVANTIAE, VENERATIONIS
AC GRATIARVM IMMORTALIVM
CVM ARDENTISSIMO
SALVTIS AC FELICITATIS OMNIGENAE
ET SEMPITERNAE VOTO

SACRAM ESSE VOLVIT

OBSERVANTISSIMVS FILIVS.



§. I.



DE nexu metaphysices cum arte salutari generatim non nulla differere, eo lubentius apud me constitui, quo pauciores artis medicae cultores inveniuntur, qui illam scientiam ad medicinam vtilem aequae ac necessariam esse iudicant. Dantur sane! per quam plurimi medicinae cultores, qui praeter logicam, quae ipsis eam forsitan ob rationem aliqualem mereri videtur attentionem, quia caput de disputando, in illa explicatur, neque ad metaphysicas, neque vllas alias scientias philosophicas incumbunt, & hinc debitam animi praeparationem, ad cognoscendas veritates medicas, quam sola philosophia suppeditat, prouidae relinquunt naturae. Ad hunc errorem ex medicorum animis proscribendum, hoc dissertationis thema elegeri, cuius elaborationem L. B. diiudicationi submitto.

§. II.

Connexa dicuntur, quorum vnum est ratio alterius. Hinc scientiae sunt in nexu, quarum vna praemissas alterius in se continet.

§. III.

Metaphysica est scientia prima cognitionis humanae principia continens.

§. IV.

Medicina est scientia naturae corporis humani: hinc medicina cum metaphysica est in nexu. § II. III.

§. V.

Metaphysica docet I. praedicata entis generaliora Conf. BAUMGART. Metaph. §. 4. 5. & quidem a) vniuersalia interna, quae sunt in singulis. Hinc metaphysica docet praedicata corporis humani vniuersalia interna, quae omnibus corporibus humanis sunt communia; quaeque simul corpus humanum cum omnibus aliis entibus communia habet. Hinc medicina cum metaphysica est in nexu. §. III. IV.

Per hunc nexum metaphysices cum medicina, primae cognitionis corporis humani & principales praemissae stabiliuntur, sine quibus nulla plane cognitio, ad summum, qui tibi possibilis est, gradum euehi potest, ad quem tamen obligaris. Determinantur autem per eundem nexum corporis humani 1. possibilitas, 2. rationalitas, 3. determinabilitas, 4. vnitatis, 5. veritas, 6. perfectio, vniuersales, in genere.

§. VI.

Metaphysica docet b) praedicatorum entium generaliorum internorum, Disiunctiua, quorum alterutrum est in singulis entibus. Hinc metaphysica docet praedicata corporis humani interna disiunctiua, quorum alterutrum in singulis corporibus deprehenditur, quaeque corpus humanum cum omnibus aliis entibus habet communia. Hinc metaphysica connectitur cum medicina. §. III. IV.

Per

Per hunc nexum ambarum scientiarum generatim determinantur corporis humani 1. contingentia, tam absoluta, quam hypothetica, 2. mutabilitas absoluta & hypothetica, tam externa, quam interna, 3. realitas, 4. differentia specifica, 5. magnitudo extensiuua, 6. inhaerentia, 7. vires, 8. status, 9. facultates, 10. receptiuitates, 11. actiones, 12. passiones, 13. essentia, 14. ortus & interitus, 15. finitudo &c. Etsi enim omnes hae determinationes in metaphysicis tantum in genere considerantur, tamen principia ibidem occurrunt, quare omnes hae determinationes ab omni corpore humano praedicari possunt.

§. VII.

Metaphysica docet c) praedicatorum entium generaliorum, externa s. relatiua. Hinc metaphysica docet praedicata corporis humani relatiua generaliora, quae ipsi cum omnibus entibus simul conueniunt. Hinc metaphysica est in nexu cum medicina. III. IV.

Per hunc nexum determinantur in genere corporum humanorum 1. identitas partialis, 2. diuersitas vniuersalis, 3. extensionum species, 4. vis motrix, 5. aetas, 6. locus, 7. dependentia, 8. caussalitas, 9. mutabilitas externa a circumstantiis, 10. nexus caussales, cet. Haec omnia medicinae cultori ad minimum vtilia esse possunt, ad emendandos conceptus omnium harum corporis humani determinationum, qui fere omnes in scriptis medicis falsi deprehenduntur.

§ VIII.

Scientia praedicatorum entis generaliorum *Ontologia* dicitur. Hinc collige ex §phis V. VI. VII. nexum & vtilitatem Ontologiae in medicina, & refuta praeiudicia, quae

quae de sterilitate, inutilitate, siccitate &c. huius scientiae a multis tamquam precaria assumuntur.

§. IX.

Metaphysica docet: II. praedicata mundi generalia; vbi, praeter conceptus mundi, nonnullaque de perfectione eiusdem in genere agentia, sequentia capita, quae ad medicinam propius spectant, occurrunt: Agit nimirum 1. de partibus mundi simplicibus, earundemque determinationibus vniuersalioribus. Iam cum corpus humanum ex partibus simplicibus sit compositum; metaphysica docet partium primariarum corpus humanum constituentium naturam & indolem.

§. X.

Metaphysica, praedicata mundi generalia sistens, agit 2. de partibus mundi compositis. Iam cum corpus humanum ipsum sit pars mundi composita, cuius partes plurimae iterum compositae sunt, denuo patet huius scientiae utilitas in medicina. §. III. IV.

Per hunc nexum metaphysices cum medicina determinatur 1. genesis corporis humani, partiumque ipsius compositarum ex elementis. Hanc cognitionem si acquisueris, facillime poteris euitare errorem eiusmodi genesis corporum negantem, 2. naturam corporis humani, quippe quae facillime ex conceptu de natura corporum in genere erui potest. En! tractationem, qua totius medicinae partitio atque diuisio nititur. §. IV.

§. XI.

Metaphysica, praedicata mundi generalia sistens agit 3. in genere de eo quod corporibus omnibus, hinc & corpori humano naturale est. Hinc prima physiologiae medicae principia & capita potiora per metaphysicam deter-

determinantur. *Physiologia* enim est scientia virium corpori humano naturalium, praeternaturalibus contradistinctarum. Cum autem in *Metaphysica* doceatur, quicquid in corporibus omnibus, hinc etiam humanis secundum cursum naturae, & secundum ordinem ipsius eueniat, nullum est dubium, quin haec pars metaphysices utilis sit ac necessaria ad physiologiam.

§. XII.

Metaphysica, praedicata mundi generalia sistens, agit 4. in genere de eo quod omnibus hinc & humanis corporibus praeternaturale est. Hac tractatione nititur *Pathologia medica*, quae est scientia virium corpori humano praeternaturalium, quatenus naturalibus, a natura non impedita pendentibus contradistinguuntur.

§. XIII.

Scientia praedicatorum mundi generaliorum dicitur *Cosmologia*. Hinc *Cosmologia* connectitur cum medicina §. IX-XII. Ne ergo speres te absque scientia praedicatorum mundi generaliorum medicum fieri posse consummatum!

§. XIV.

Metaphysica docet III. praedicata animae generalia. En prolixissimum campum vnde plurimae maximae utilitates ad medicinam proueniunt. Has vt prolixius explicemus necesse erit.

§. XV.

Omnibus metaphysicis constat animae cum corpore vnionem, harmoniam, & communicationem esse maximam, arctissimam & maxime proportionatam. Ipsi metaphysici docent, nullam existere posse mutationem in anima, absque omni mutatione corporis, quocum est

in arctissimo commercio; sed potius quamlibet perceptionem animae comitari debere motum quemdam in corpore, ita quidem, vt, quo maior est animae mutatio, eo maior etiam corporis coexistens euadat motus. Iam cum metaphysica doceat, quales & quot, quantaque mutationes in anima contingere possint, medicus similes, tot, tantasque facultates corpori adscribere poterit motrices, quales, quot, quantaque animae adscribuntur facultates repraesentatiuae. His praemissis sequentes veritates, sine vltiore demonstratione supponi possunt.

§. XVI.

Metaphysica, praedicata animae generalia sistens, animae adscribit A) facultatem cognoscitiuam inferiorem, i. e. facultatem sensitivae aliquid cognoscendi. Hinc corpori humano competet facultas se mouendi conuenienter & proportionaliter cum perceptionibus facultatis cognoscitiuae animae inferioris, de qua facultate corporis praeaeque hodiernae nostrae physiologiae & omnes pristinae altum seruant silentium, quae tamen ex principiis metaphysicis indubie potest demonstrari. §. XV.

Haec corporis humani facultas sese exserit multis modis. Facultas enim animae cognoscitiua inferior varie potest considerari. Pertinent nimirum ad eandem 1) sensus. Hinc corpus humanum habet facultatem se mouendi conuenienter atque proportionaliter cum sensationibus animae, quae facultas, per vim corporis motricem actuabit motus, qui *corporeae* nuncupari poterunt *sensationes*. Conf. *Celeb. KRÜGER*, praeceptoris mei longe aestumatissimi Physiologia §. 40. &c. 2) phantasia. Hinc corpus humanum gaudet facultate se mouendi conuenienter & proportionaliter cum imaginationibus animae
sensi-

sensitiuis, quae facultas, per vim corporis motricem actuat motus, qui *Ideae materiales* dicuntur. 3. Perस्पicacia. Hinc corpus humanum habet facultatem se conuenienter & proportionaliter mouendi cum ingenii lusibus & subtilitatibus animae sensitiuis, quae facultas, per vim corporis motricem actuat motus, in corpore humano peculiare. 4. memoria. Hinc corpus humanum habet facultatem se mouendi conuenienter & proportionaliter cum perceptionibus memoriae sensitiuae, quae per vim corporis actuat motus quosdam in corpore, 5. facultas fingendi. Hinc corpus facultate est instructum conuenienter & proportionaliter sese mouendi cum animae fictionibus sensitiuis, 6. praeuisio. Hinc corpus habet facultatem conuenienter & proportionaliter se mouendi cum praeuisio-nibus animae sensitiuis, 7. iudicium. Hinc corpus habet facultatem se mouendi proportionaliter & conuenienter cum diiudicationibus animae sensitiuis, 8. praesagitio. Hinc corpus pollet facultate se mouendi proportionaliter & conuenienter cum praesagitionibus animae sensitiuis. Ex hac corporis facultate explicari possunt praesagitionum sensitiuarum strictissime dictarum motus simultanei. *Die Bewegungen so in uns vorgeben, wenn uns etwas abndet*, 9. facultas characteristica. Hinc corpus habet facultatem conuenienter & proportionaliter sese mouendi cum repraesentationibus animae ex cognitione symbolica oriundis, & cum intuitibus ipsius sensitiuis. Ex hisce omnibus motuum corporis humani speciebus aliae manifestae sunt, e. g. sensationes corporeae, aliae non adeo manifestae sunt, vt a nobis earundem indoles perfecte possit perspici. Interim a non experiri ad non existere, non V. C. praecipue cum a priori contrarium pateat.

§. XVII.

Metaphysica, praedicata animae generalia sistens, animae tribuit B) facultatem cognoscitiuam superiorem, i. e. intellectum. Hinc corpori humano competit facultas se mouendi conuenienter & proportionaliter cum intellectus perceptionibus.

Quia in intellectu eadem occurrunt facultates cognoscitiuae, quae de facultate cognoscitiua inferiore asseruimus, etiam tot facultates corporis motrices in corpore poni debent. Interim tamen, quia facultas superior cognoscitiua non tam arcte cohaeret, cum corporis facultatibus, quam quidem sensitiuae, hic nexus motuum cum perceptionibus non adeo magnus est, quam reliqui.

§. XVIII.

Metaphysica, praedicata animae generalia sistens, animae tribuit, C) facultatem appetitiuam inferiorem. Hinc corpus humanum habet facultatem conuenienter & proportionaliter se mouendi cum appetitionibus auersationibusque animae sensitiuis.

Animae facultas appetitiua inferior actuat per vim repraesentatiuam pro positu corporis a. instinctus & fugas. Hinc corpus habet facultatem se mouendi conuenienter & proportionaliter cum instinctibus fugisque animae. Hinc patet cur peculiare motus in corpore obseruentur, dum obiectum aliquod cuidam praesens est, qui amorem naturalem, aut odium, erga idem habet. b. Affectus. Hinc corpus humanum facultate gaudet se mouendi conuenienter & proportionaliter cum affectibus animae, quae facultas, per vim corporis motricem actuat motus, qui *affectus corporei* nuncupari possent. De his nemo facile dubitabit, quia inter omnes alios motus corporis humani harmonicos manifestissimi sunt.

§. XIX.

§. XIX.

Metaphysica, praedicata animae generalia sistens, animae tribuit, D) facultatem appetitivam superiorem. Hinc corpus habet facultatem cum volitionibus nolitionibusque animae conformiter & proportionaliter se mouendi, quae facultas, actuabit per vim corporis motricem, motus, quos nonnulli medicorum, *motus rationales* dicere solent.

Haec facultas corporis humani ad motus rationales, per vim corporis actuat 1. motus cum actionibus arbitrariis animae, quarum sibi est conscia, coexistentes, i. e. *motus arbitrarios*, 2. motus arbitrarios cum actionibus animae a facultate superiore pendentibus coexistentes, i. e. *motus voluntarios*. Cumque temperamentorum animae varia genera constituentur, poteris & facillime doctrinam de temperamentis corporis, quae in medicina satis hucusque manca fuit, ex illo capite metaphysices emendare.

§. XX.

Metaphysica, praedicata animae generalia sistens, docet E) commercium animae cum corpore, & varios eiusdem explicandi modos, i. e. systemata psychologica.

Hinc per metaphysicam edoceris: 1. commercium animae tuae cum corpore esse arctissimum, 2. animam tuam in omnibus suis actionibus harmonicis influere in corpus, 3. corpus in omnibus suis motibus harmonicis influere in animam. 4. Hunc influxum reciprocum esse immediatum. 5. Nihilo tamen minus per eundem influxum, neque influxionismum, neque occasionalismum neque harmoniam praestabilitam, psychologicas, nec poni, nec refutari, sed potius eiusmodi decisionem, longe aliis niti fundamentis, quam experiētiis ex praxi medica desumptis.

§. XXI.

Metaphysica, praedicata animae generalia sistens, docet: F) Ortum animae humanae. In hoc etiam capite de corporis humani praedicatis quibusdam agitur. Dantur enim non medici solum, qui corpus humanum ex anima oriri affirmant, sed etiam philosophorum nonnulli, animae ortum ex corpore humano deducentes. Ad utrosque refutandos inuenies praemissas in metaphysica.

Satis insuperque, vti ego quidem credo ex antecedentibus clarum est, nouas in arte medica veritates inueniri posse permultas, si tantum eandem legitime adplicare vellent, medicinam colentes. Systema enim illud motuum corporis humani harmonicorum §. §. XV--XX. delineatum, a medicis, etiam illis, qui alias animae plus tribuunt, quam quidem secundum aliorum sententiam perferre potest, neglectum immo plane fere omissum est, si forte excipias sensationes corporeas, materiales ideas, corporeasque passiones, quia eadem perquam maxime obseruabiles deprehenduntur. Ecquis autem nunc dubitabit, metaphysicam ad medicinam summe necessariam esse, & in arctissimo cum eadem versari nexu?

§. XXII.

Scientia praedicatorum animae generalium dicitur *Psychologia*. Hinc psychologia utilis est atque in nexu arctiore cum medicina, ita quidem vt absque solida psychologiae cognitione, nullo modo medicus fieri possis rationalis. §. III. IV.

Hinc admodum laudandos esse censeo conatus illos scholae Stahlianae, quibus in arte medica necessarium esse demonstrant *psychologismum*, vti dicunt, *medicum*, quem tamen plerique tantum ad demonstrandum animae in cor-

pus influxum realem applicant, reliquas autem psychologicae veritates in medicina ex psychologia reperendas plane omittunt. §. XXIII.

Metaphysica docet, IIII. praedicata Dei, quatenus sine fide cognosci possunt. Hanc metaphysices partem, *theologiae naturalis* nomine venientem, non directe quidem ad salutarem artem & proxime vtilem necessariamque esse fatemur, interim tamen neminem fore existimo, qui huius scientiae indirectam & remotiorem quidem, sed satis magnam vtilitatem & necessitatem negare vellet. Hinc Theologia etiam naturalis in nexu est, cum medicina.

§. III. IV. §. XXIV.

Complexus ontologiae, cosmologiae, psychologiae & theologiae naturalis, constituit metaphysicam: Hinc metaphysica, innumeris modis connectitur §. I. cum medicina, §. XXIII. XXII. XIII. VIII. ad eandemque est utilis aequae ac necessaria. §. XXV.

Medicina theoretica, ad quam metaphysica utilis atque necessaria est, utilis est ad rationalem practicam, de qua tot hominum salus dependet, & quae nobilis cognitionis humanae pars est. Hinc medicina theoretica est ratio foecunda & nobilis, ex qua multae magnaeque ortum trahunt consecutiones. Metaphysica ergo connectitur cum scientia, quae est maior ratio, plurium, maiorumque rationum. §. XXIV. §. XXVI.

Metaphysica praeter sua in medicina rationata, per quam plurima maximaque, utilis etiam est ad plures, nobilioresque alias scientias. Hinc itidem maior ratio ut sit necesse est. §. XXVII.

Maior nexus est nexus plurium maiorum rationum. Hinc inter metaphysicam & medicinam maior intercedit nexus. §. XXV. XXVI. Ne

Ne itaque, vti more consueto fit, metaphysicae aliqualem quidem in medicina vtilitatem adscribens, neges hunc nexum maioris esse ponderis, hinc ne negligas metaphysices studium, quando medicinae scientiis, te consecrare apud te constituisti.

§. XXVIII.

Metaphysica praeter suam vtilitatem, 1. in physiologia §. XI. & 2. pathologia medica, §. XII. vtilis est, 3. ad scientiam, de morborum signis cognoscendis & quidem tam inveniendis, quam interpretandis, i. e. ad *femeiologiam medicam*, § 16. n. 9. tandem etiam 4. ad practicam medicinam §. XXV. Hinc inter metaphysicam & medicinam maior intercedit nexus. § XXVII.

Operae sane pretium esset, vti specialiora in medicina commoda, in peculiari quadam tractatione explicarentur. Tot enim exinde sumi posse, tantasque scio vtilitates tam in theoria medica quam in praxi, quot ipsae quantaque physicae scientiae secum ducunt in arte salutari commoda. Extirpandum itaque erit praecudicium, illud, quod medicus quidem physicus neutiquam autem metaphysicus esse debeat. Ne dicam ipsum physicum miserabilem repraesentare faciem, nisi vniuersales veritates in metaphysica occurrentes habeat perspectas. Tandem, quod ad hanc nostram dissertationem attinet, sequentia adhuc monere necessarium esse duco: 1. Mens mea non fuit, generalissimas metaphysicae vtilitates, quas in emendanda & exstruenda cognitione humana exserit, hic allegare. Hinc multae adhuc exstant vtilitates metaphysicae ad medicorum cognitionem perfectiorem reddendam, de quibus hic merito abstraximus. 2. Vtilitates metaphysicas, quas allegavi, in genere tantum attigi, optime sciens, de vna quaque earundem totum conscribi posse librum, medicinae cultoribus admodum necessarium. 3. Specialiores in medicina vtilitates metaphysices, plane hic sunt omissae. Interim id silentio praeteriri non potest, per eiusmodi applicationem metaphysices ad medicinam, plures detegi posse scientiarum medicarum partes, quas adhuc ignorant plerique. 4 Tandem rationem ordinis huiusce dissertationis daturus, prouoco ad Metaphysicam, Dn. Professoris philosophiae BAVMGARTEN, quem nos, cum nostro WOLFIO & MEIERO tamquam patronus & promptores artis Medicae veneramus.